

# Marian Żurowski

---

## De punitione communitatis ratione ipsius delicti

---

Prawo Kanoniczne : kwartalnik prawno-historyczny 5/1-2, 41-75

---

1962

Artykuł został zdigitalizowany i opracowany do udostępnienia w internecie przez Muzeum Historii Polski w ramach prac podejmowanych na rzecz zapewnienia otwartego, powszechnego i trwałego dostępu do polskiego dorobku naukowego i kulturalnego. Artykuł jest umieszczony w kolekcji cyfrowej [bazhum.muzhp.pl](http://bazhum.muzhp.pl), gromadzącej zawartość polskich czasopism humanistycznych i społecznych.

Tekst jest udostępniony do wykorzystania w ramach dozwolonego użytku.

# R O Z P R A W Y I A R T Y K U Ł Y

MARIAN ŻUROWSKI

## DE PUNITIONE COMMUNITATIS RATIONE IPSIUS DELICTI

### Quaestio saeculis Gratianum subsequentibus disputata

In societate uniuntur homines, ut finem suum melius, facilius efficaciusque coordinata activitate obtineant, et bona communia sibi procurent. Ordinarie activitas uniuscuiusque societatis in verum bonum commune dirigitur; experientia tamen teste constat haud raro ob falsam boni communis notionem, vel propter sociorum malam voluntatem bonum apparens intenditur et in effectu activitas saltem obiective mala et nonnunquam valde noxia evadit. Tunc utique factum iuridico ordini sociali contrarium auctoritati legitimae indifferens esse non potest. Ideo exsurgit quaestio de punitione communitatis. Etsi in historia iuris canonici novum illud problema dici non potest, theoretice tamen non fuit clarum, ut patebit ex longiore discussione quam hic proponere intendimus. Res nostra incipit post Decretum Gratiani, quia practice quaestiones rem nostram spectantes inde ab eius apparitione incipiunt clarius tractari in scriptis auctorum. Utile tamen fore videtur paucis in verbis aliquid ex antiquiore historia in memoriam revocare.

Nobis mens non est hic in introductione proponere totam historiam periodi praecedentis hanc discussionem sub aspectu punitionis communitatis, sed solummodo ostendere, quod scilicet usus puniendi communitatem hominum sat antiquus in Ecclesia est. Probant hoc diversi textus ex historia iuris canonici.

ci desumpti. Sufficit ad rem nostram nonnullos tantum afferre ad illustrandam hanc veritatem. Sic v. g. Gelasius Papa episcopalem dignitatem subtrahit civitati illi, quae habitualiter suos pastores et praesules interimit<sup>1</sup>. Aliud exemplum dat Hincmarus Remorum episcopus, qui in sua epistola Hincmaro Landunensi Episcopo exprobrat nimiam severitatem poenae inflictæ, quin tamen dicat quidquam de ipso facto punitio- nis<sup>2</sup>. Anno 1031 concilium Lemovicense imponit poenam in totam regionem lemovicensem<sup>3</sup>. Sequens textus inveniri potest in c. 9, X, 5, 7; Lucius III in constitutione edita a Concilio

<sup>1</sup> „Ita nos Sillanorum cedes geminata pontificum horrendi criminis atrocitate confudit, ut diu constitutio nostrae deliberationis hesitaret, dum et ingerere quemquam parricidalibus exemplis detestaremur antistitem et ecclesiam utcumque destitutam non usque adeo iudicarem relinquendam. Quapropter iam velut usum consuetudinemque sacrilegam declinantes, eatenus duximus religioni consulendum, ut parrochiae vice ab extrinsecus positis sacerdotibus gubernetur, que ibidem conmanentes ferro didicit necare pastores, inauditoque facinore (quod etiam in illis provinciis nusquam prorsus legitur accidisse, que bellorum continuis diversisque incursionibus affliguntur) ut aliqua reperta sit civitas, quae presules ministrantes sibi fidei Christiae sine persecutore prosternat. Curandum est igitur, ut funesta perniciis cessatione propriorum sanetur antistitem...” c. 25, C. 25, q. 2;

<sup>2</sup> „Sed tu addes peiora prioribus... praecepisti ut in commissis tibi paroecia nemo missam cantaret, nemo communionem sacram perciperet... Praecepisti quoque ut nemo etiam mortis urgente periculo in tua paroecia baptisaret, cum Dominus dicat: Docete omnes gentes baptisantes in nomine... nisi quis renatus fuerit... Vetuisti nihilominus ut nemo quemquam ultimam poenitentiam vel reconciliationem reciperet... cum Dominus praedicet poenitentiam agite... iussisti maximam inhumanitatem ut nemo mortuum in tua paroecia sepeliret...” *Harduin*, V, 1373, *Hincmari Remorum episcopi epistola Hincmaro Landunensi Episcopo*.

<sup>3</sup> „Dixerunt episcopi: Hac in re petimus, carissime, ipse date consilium. Quibus ille: Nisi de pace acquieverint ligate omnem terram Lemovicensem publica excommunicatione: eo videlicet modo, ut nemo nisi clericus, aut pauper mendicans, aut peregrinus adveniens, aut infans a bimatu et infra in toto Lemovicinio sepeliatur, nec in alium episcopatum ad sepeliendum porteretur. Divinum officium per omnes ecclesias latenter agatur et baptismus petentibus tribuatur...” *Concilium Lemovicense* II, *Mansi*, 19, 541, ss.

Veronensi a. 1184 dicit:

„Civitas autem, quae his decretalibus institutis duxerit resistendum, vel contra commonitionem episcopi punire neglexerit resistentes, aliarum careat commercio civitatum, et episcopali se noverit dignitate privandam...”

Innocentius III primo pontificatus sui anno Cremonam interdicti poena punivit, quia partes Markwaldi usurpatoris egerat <sup>4</sup>. Idem Innocentius III Colubriensi et aliis episcopis in regno Lusitaniae constitutis scribit quae sequuntur:

„Quum in partibus vestris peccatis exigentibus saepe contingat diversa loca interdicto supponi, quando generale vel particulare dici debeat interdictum, apud vos accepimus in dubium revocari, quum illi qui ab ecclesia Romana decorari privilegio meruerunt ... licet eis ianuis clausis... officia celebrare...” <sup>5</sup>.

Legatus eiusdem Innocentii III monachos inoboedientes et alios contra abbatem concinantes et manus in eum iniicientes suspendit et monasterium interdixit <sup>6</sup>.

Haec sufficiunt, cum ex textibus citatis clare pateat, ipsum factum punitionis communitatis non esse rem novam, immo satis frequentem, ut dicit Innocentius III in textu supra citato: „saepe contingat diversa loca interdicto supponi...” — Praeter ipsum factum punitionis communitatis attentio dirigenda est quoque in aliam quaestionem, nempe an conceptus diversarum poenarum sufficienter eo tempore clari sint et ab invicem sufficienter distinguantur.

Inter poenas quae in hac periodo in usu frequentiores sunt contra communitatem hominum, praecipue interdictum et excommunicatio sunt recensenda. Tamen animadvertendum est effectus interdicti circa saec. 10-um confundi cum effectibus excommunicationis <sup>7</sup>. Sic v. g. a. 994

„Alduinus pro nequitia populi...” (pro rapina militum et devastatione pauperum) „... novam observantiam constituit scilicet ecclesias et monasteria cessare a divino

<sup>4</sup> Innocentius III *Regesta* I ep. 461 (Migne P. L. 214, 433).

<sup>5</sup> c. 17, X, 5, 40;

<sup>6</sup> c. 16, X, 1, 6;.

<sup>7</sup> cfr. Myrcha Marian-Alfons, *Ekskomunika*, Warszawa 1959, s. 21. cfr. Myrcha Marian-Alfons, *Interdykt*, Warszawa 1960, s. 12 i 13.

cultu et sancto sacrificio et populum quasi paganum a divinis laudibus cessare et hanc observantiam excommunicationem censebat”<sup>8</sup>.

Sequens exemplum dant iam citata verba ex concilio Lemovicensi II, ubi „publica excommunicatio” appellatur poena, cuius effectus indicant agi potius de interdicto<sup>9</sup>. Vetatur enim ecclesiastica sepultura; divinum officium clam solummodo perficiendum est; eodem modo baptismus petentibus tribuendus; poenitentia et viaticum tantum in exitu mortis concedi potest; cruces et ornamenta abscondenda sunt; Missa a sacerdotibus ianuis clausis celebranda est. Ut ex effectibus patet sermo de interdicto est; tamen nomen excommunicationis huic poenae tribuitur, ut eruitur non solum ex prima expressione, sed etiam ulterius ex verbis: „nemo in ipsa excommunicatione uxorem ducat”.

Non est dicendum in his casibus has esse expressiones solitarias, cum in epistula Innocentii III ad Archipresbiterum et clericos Burgonensis Ecclesiae legatur:

„Cum civitas Parmensis et cives eius excommunicationi subiecti fuissent, propter violentam invasionem et depraedationem dilecti filii. P. Sanctae Mariae in via Lata diaconi cardinalis... donec satisfacerent competenter... Volumus ut a praedictis canonicis sufficienti prius cautione recepta, quod debeant

<sup>8</sup> Migne P. L. 141, 52.

<sup>9</sup> „...Dixerunt episcopi: Hac in re petimus, carissime ipse date consilium. Quibus ille: nisi de pace acquieverint ligate omnem terram Lemovicensem publica excommunicatione: eo videlicet modo, ut nemo nisi clericus, aut pauper mendicans, aut peregrinus adveniens, aut infans a bimatu et infra in toto Lemovicinio sepeliatur, nec in alium episcopatum ad sepeliendum porteretur. Divinum officium per omnes ecclesias latenter agatur, et baptismus petentibus tribuatur. Circa horam tertiam signa sonent in ecclesiis omnibus, et omnes proni in faciem preces pro tribulatione et pace fundantur. Poenitentia et viaticum in exitu mortis tribuatur. Altaria per omnes ecclesias, sicut in parasceve, nudentur; et cruces et ornamenta abscondantur, quia signum luctus et tristitiae omnibus est. Ad missas tantum, quas unusquisque sacerdotum ianuis ecclesiarum obseratis fecerit, altaria induantur, et iterum post missas nudentur. Nemo in ipsa excommunicatione uxorem ducat. Nemo altari osculum det, nemo... carnem comedat neque alios cibos quam illos quibus in quadragesima vesci licitum est. Nemo laicorum aut clericorum tondeatur...” Mansi, 19, 541.

parere iustitiae coram vobis, interdictum appellatione postposita relaxetis" <sup>10</sup>.

Non est ergo mirum auctores huius temporis non clare distinctam habuisse poenam individualement a poena collectiva. Nomen excommunicationis apud eos potius generalem significationem habet <sup>11</sup>, et dicendum est ulterius interdictum gradatim ex excommunicatione originem duxisse <sup>12</sup>. Facile ergo oriri potuerunt difficultates practicae, quae apparebant vel non erant consonae vero spiritui Ecclesiae, atque ideo iure merito excitabant aliorum contrarias opiniones. Diversas igitur sententias investigare utile est, ut veritas clarior evadat.

<sup>10</sup> Innocentius III, Ep. 403 Migne PL. 214, 378 ss.

<sup>11</sup> „The origin of the interdict has been the subject of much controversy among canonists who, for the most part, have centered their attention on the subject with a view of arriving at a knowledge of the legal and juridical character of the interdict, rather than from a point of view of historical development... Another important fact to be remembered, it that in the early centuries of Christianity the term excommunication" was employed to designate ecclesiastical punishments in general. It is, therefore very easy to understand how a controversy could arise regarding the origin of the interdict. Many punishments in the early Church were quite similar to the interdict, and yet were classified as excommunication." Conran E. J., *The Interdict*, p. 15.

<sup>12</sup> „Die Bezeichnung Interdikt stammte erst aus der späteren Zeit die früheren Jahrhunderte zählten entweder die einzelnen Wirkungen auf ohne eine Gesamtbezeichnung zu finden, oder sie verwandten auch hierfür das Wort excommunicatio oder anathema, wie es noch bei dem interdikt von Limoges heisst „publica excommunicatio". Erst das Konzil von Poitiers im Jahre 1078 machte einen genauen Unterschied zwischen Interdikt und Excommunication auch in der Bezeichnung." Haas A., *Das Interdikt*, s. 3.

„Der hier in Rede stehenden Periode gehört die Ausbildung einer bisher nicht bekannten Strafe, des s. g. Interdikts, anfänglich ebenfalls excommunicatio oder auch anathema, später gewöhnlich interdictum genant, d. h. die Einstellung, aller gottesdienstlichen Funktionen in einer Kirche oder in einem kleineren oder grösseren Distrikt, an. Als Strafe tritt es in der kirchlichen Praxis frühestens seit Mitte des zehnten Jahrhunderts auf, und zwar wird es zunächst mit der Exkommunikation von Personen, welche sich eines kirchlichen Vergehens schuldig gemacht haben,..." Hinschius P., *System des Katolischen Kirchenrechts*, t. V, s. 19.

## Pars I

### A. Sententia eorum qui non admittunt punctionem communitatis.

(Theorico-practicae ideae, quibus nititur illa sententia).

Tarda evolutio theoretica problematis punctionis communitatis et confusio conceptuum nondum satis explicatorum se manifestant inter alia etiam in Gl. ad 58, C. 12, q. 2, v. accusandi:

„Ergo videtur quod alter quam libertus possit accusare ecclesiam,... Sed contra, universitas non potest dolum committere, ut ff. de dolo, sed si ex dolo. sic nec dicitur aliquid possidere... Nec civitas potest excommunicari, ut 24 q. 3 si habes. Item universitas per actorem vel procuratorem suum debet se defendere: sed in crimine non intervenit procurator, ergo universitas non potest de crimine conveniri. quod verum est. Dicas ergo hic ponit verbum accusandi pro verbo agendi. ... Item per modum inquisitionis potest agi contra universitatem, ...Vel dic quod non proceditur contra universitatem sed potius contra singulos. ...”

Glossa ista refert c. 1, C. 24, q. 3, ubi proponitur textus S. Augustini (epistola ad Auxilium episcopum); in quo vituperatur iniusta severitas Auxilii, qui excommunicaverat totam familiam propter peccatum patris. S. Augustinus proponit ibi sat claram distinctionem inter poenam spiritualem, quae singularis est, et poenam corporalem, quae pluribus personis simul applicari potest<sup>13</sup>. Glossa tamen in nullam illam distin-

<sup>13</sup> „Si habes de hac re sententiam certis rationibus vel scripturarum testimoniis exploratam, nos docere digneris quomodo recte anathematizetur pro patris peccato filius, aut pro mariti uxor, aut pro domini servus aut quisquam in domo etiam nondum natus, si eo tempore quo universa domus anathemate obligata, nascatur, nec ei possit per lavacrum regenerationis in mortis periculo subveniri. Hec enim fuit corporalis poena qua legimus quosdam contemptores Dei cum suis omnibus, qui eiusdem impietatis particeps fuerunt, pariter interfectos. Tunc quippe ad terrorem viventium\* mortalia corpora perimebantur, quandoque etiam moritura. Spirituales autem poena, qua fit quod scriptum est: „Quae ligaveris super terram erunt ligata et in celo” animas obligat, de quibus dictum est: „Ut anima patris et anima filii mea est. Anima quae peccaverit ipsa morietur”. Audistis fortassis aliquos

ctionem animadversionem facit, sed solummodo asserit excommunicationem contra plures personas simul irrogari non posse. Praeterea glossa asserit non solum universitatem excommunicari non posse, sed neque accusari de crimine, si ad eam pertineant infantes vel similes personae; solummodo per modum inquisitionis agi licere contra universitatem. Similes ideas repetit Gl. ad. c. 30, X, 5, 3 officialibus<sup>14</sup>.

Attamen non solum theoreticae difficultates oriuntur. Maioris momenti sunt difficultates practicae; nam quando in usu est excommunicatio contra communitatem, omnes et singuli, etsi innocentes, excommunicati individualiter manent. Cura tamen pastorum et totius Ecclesiae semper esse debet, ne salus animarum detrimentum patiat. Ideo dum notio singularum poenarum accuratius determinatur, non solum tantum apud singulos auctores, sed magis universaliter, et praecipue character individualis excommunicationis, Innocentius IV vetat excommunicari communitatem. Etsi enim individualis character excommunicationis iam a S. Augustino clare demonstratus est in supra citata epistola ad Auxilium episcopum, tamen praxis erat diversa; secus auctoritativa prohibitio Innocentii inutilis evaderet. Saepe enim ob difficultatem commercii inter populos varii textus non erant sufficienter noti, vel, ut censebant nonnulli, non habebant sufficientem auctoritatem. Ideo ob rationes practicas pastorales actus auctoritativus Innocentii IV fuit necessarius:

„...In universitatem vel collegium proferri excommunicationis sententiam penitus prohibemus, volentes animarum periculum vitare, quod

---

magni nominis sacerdotes cum domo sua quempiam anathematizasse peccantium. Sed forte si essent interrogati, reperirentur idonei inde reddere rationem...” c. 1, C. 24, q. 3; Augustinus ad Auxilium Episcopum.

<sup>14</sup> „... universitas non potest excommunicari: ut arg 24, q. 3 si habes... nec dolum committere potest... nec universitas dicitur aliquid possidere... Item per actorem vel procuratorem syndicum debet se defendere, sed in crimine non intervenit procurator 5 q. 3 in criminalibus,... Io dicit quod universitas non potest accusari vel puniri sed maiores de universitate... T. dixit bene quod licet universitas vel collegium non possit accusari: potest tamen inquisitio fieri de excessibus collegii et canonice puniri possunt: sed illi plus quos magis delicti causam esse constiterit...”



exinde sequi posset, quum nonnunquam contingeret innoxios huiusmodi sententia irretiri; sed in illos dumtaxat de collegio vel universitate, quod culpabiles esse constiterit promulgetur<sup>15</sup>.

Sed etiam ad theoreticam evolutionem problematis quod attinet Innocentius plurimum contulit. Addit enim suam sententiam, quae existit tamquam fundamentum pro multis auctoribus posterioris temporis. Exponit eam in suo commentario in quinque Decretalium libros. Primus textus inveniri potest ad c. 30, X, 5, 3:

„... Item universitas per procuratorem debet se defendere et in causa criminali non constituitur procurator... *nos dicimus quod universitas non potest accusari, nec puniri sed delinquentes tantum*<sup>16</sup> civiliter autem conveniri et pecunialiter puniri potest ex delicto rectorum... praeterea potest inquiri de statu universitatis, *sed nec tamen puniuntur nisi delinquentes...*”<sup>17</sup>.

Alius textus de hac materia, quem hic afferimus invenitur in eodem commentario ad c. 53, X, 5, 39:

„... *Universitas autem non potest excommunicari; quia impossibile est quod universitas sicut est capitulum, populus, gens et huiusmodi nomina sunt iuris et non personarum*<sup>18</sup>, ideo non cadit in ea excommunicatio. item in universitate sunt pueri unius diei, item eadem est universitas quae est tempore delicti et quae futuro tempore, quo nullo modo delinquant. esset autem multum iniquum, quod huiusmodi qui nullo modo delinquant, excommunicarentur. 24 q. 3 si habes... item universitas nihil potest facere dolo... fatemur tamen quod si rectores alicuius universitatis, vel alii aliquod maleficium faciunt de mandato universitatis totius, vel tantae partis quod invitis aliis maleficium fecerint, vel etiam sine mandato fecerint, sed postea universitas, quod suo nomine erat factum, ratum habet, quod universitas punietur poena suspensionis vel interdicti... Item poena capitali vel mortis vel relegationis punietur universitas si contra eam agatur criminaliter... sed poena capitis mutabitur in pecuniariam... sententia autem contra universitatem mandabitur executioni in bonis universitatis, si habet aliqua communia, et si nihil habet commune, privabitur privilegio universitatis et ulterius non sit universitas, et sic patietur capitis diminutionem... Item dicunt quidam, quod fiet collecta pro solvendis huiusmodi poenis... et ab illa collecta erunt

<sup>15</sup> c. 5, in VI<sup>o</sup>, 5 11;

<sup>16</sup> Litterae italicæ positæ ab auctore.

<sup>17</sup> Idem.

<sup>18</sup> Idem.

immunes illi, qui contradixerunt maleficia, pueri et alli qui omnino fiunt sine culpa, alli tamen dicunt nullum ab hoc eximi”.

Saepe posteriores auctores non attendunt ad hunc textum completum sed solum afferunt partes excerptas, quae litteris italicis signavimus. Ultimus textus maioris momenti invenitur quoque in eodem commentario ad c. 64, X, 5, 39, nr 1:

„...iusta est excommunicatio, excommunico omnes illos, qui fiunt cruce signati, si non portant publice crucem ... ut alii eorum exemplo... est iusta huiusmodi sententia contra tolerantés haereticos, et consimiles... (*in universitate* ex hac enim sequitur absurditas quod puer unius diei incidit in hanc excommunicationem et ille qui absens est, sed iuste fertur sententia, excommunico omnes illos de hac universitate qui fuerunt rebellos mandato. Sententia autem interdicti iuste fertur in universitatem, quae fertur pro delicto alterius...)”

In his textibus post repetitionem opinionum iam in glossis supra citatis propositarum, Innocentius clarius affirmat universitatem non posse accusari, neque puniri, sed delinquentes tantum. Praecipue agitur de poena excommunicationis<sup>19</sup>. Verba autem: „impossibile est quod universitas delinquat, quia est nomen iuris”, introducunt nos in eius conceptionem universitatis ut fictionis iuris. Ulterius tamen mirum est quod post tam cathegoricam negationem, ob ratihabitionem delicti ex parte universitatis sinat infligi poenam suspensionis, interdicti, multare pecunia vel denique privari privilegio universitatis. Sed mirum est solummodo in tali contextu, nam quoad rem haec ultima pars rectam solutionem continere videtur. De hac re adhuc sermo erit.

Theoriam fictionis multi posteriores auctores susceperunt; attamen non semper in omnibus secuti sunt Innocentium praecipue quando agitur de incapacitate communitatis delictum committendi. Ideo nonnunquam videre possumus inconsequentiam in operibus eorum, cum possibilitatem committendi delictum coniungunt cum theoria fictionis<sup>20</sup>. Non omnes ta-

<sup>19</sup> Cfr. Myrcha Marian-Alfons, *Ekskomunika*, Warszawa 1959, s. (25).

<sup>20</sup> „In Bezug auf die Korporativen Delikte forderte die strenge Konsequenz der kanonistischen Fiktionstheorie offenbar die völlige Negation jeder Möglichkeit einer unerlaubten Handlung der Korpora-

men id fecerunt; sunt enim aliqui, qui fideliter Innocentium sequuntur et asserunt communitatem delinquere non posse.

Suppositis omnibus quae dicta sunt in allatis glossis ad 58, C. 12, q. 2 et ad c. 30, X, 5, 3 atque citatis supra textibus Innocentii IV, nunc examini subiciendus est textus Durandi, qui in Speculo haec dicit:

„Si universitas, civitas vel ecclesia quae parificantur... accusetur, potest syndicus constituere... et est ratio: *nam universitas quae caput non habet, damnari non potest in personam*<sup>21</sup> secus cum privata persona accusatur, pro qua si procurator inveniret in personam procuratoris esset formanda sententia: sic decapitaretur quandoque sine culpa quod esse non debet”<sup>22</sup>.

„Item nota quod nec ordinarius, nec alius delegatus nec quivis alius iudex debet proferre sententiam excommunicationis in collegium vel universitatem... Et est ratio quia universitas non habet animam quae specialiter per excommunicationem ligatur, ut 11. q. 3, omnis christianus. et c. nemo. *unde nec delinquit, nec punitur*<sup>23</sup> ut supra de accusat...”<sup>24</sup>.

In hoc ultimo textu Durandus affert alium locum eiusdem operis (I, 2 de accusato § 1 nr 7), in quo dicit: *universitas non potest adversari vel puniri: sed delinquentes tantum*<sup>25</sup> civiliter autem conveniri et puniri potest ex delicto rectorum” et paulo

---

tion als solcher. ... Allein gerade hier erwies sich das Leben und die Volksanschauung mächtiger als die theoretische Konsequenz. Die Idee einer strafrechtlichen Verantwortlichkeit der Verbände war im Bewusstsein der Zeit zu tief gewurzelt und in deren Gesetzgebung und Praxis zu weit verzweigt, als dass ihre einfache Ausrottung durch eine logische Deduktion hätte gelingen können. Die Mehrzahl der Kanonisten hielt daher ausdrücklich den gegentheiligen Satz aufrecht „universitas et ecclesia delinquere possunt”. Konnte man doch ausser den römisch-rechtlichen Stellen hierfür einen canon anführen der sogar von Ehebruch und Unzucht einer Kirche sprach! Mit so positiven Zeugnissen liess sich dann leicht die Inkonsequenz verdecken, mit der man dabei die Fiktionsidee aufgab und in die Identificirung von Korporation und Gesamtheit zurückfiel.” Gierke O., *Das deutsche Genossenschaftsrechts*, Berlin 1895, t. III. s. 343.

<sup>21</sup> Litterae italicae ab auctore positae.

<sup>22</sup> Durandus, *Speculum*, I, 3, de proc. §, 1, nr. 11;

<sup>23</sup> Litterae italicae ab auctore positae.

<sup>24</sup> Durandus, *Speculum*, IV, 4, de sent. excom. nr. 9;

<sup>25</sup> Litterae italicae ab auctore positae.

postea: Potest etiam inquiri super statu universitatis: *non tamen tunc puniuntur nisi ipsi delinquentes*"<sup>26</sup>.

Similem sententiam tenet Innocentius V:

„Nos dicimus, quod universitas non potest accusari nec puniri, sed delinquentes tantum. civiliter autem conveniri et pecunialiter puniri potest ex delicto rectorum... Praeterea potest inquiri super statu universitatis, sed nec tamen puniuntur nisi delinquentes”<sup>27</sup>.

Partialiter etiam adnumerandus est hic Panormitanus, qui actum collectivum civitatis solis singulis individuis tribuit<sup>28</sup>.

Ultimi hi auctores et praecipue Durandus, ut ex textibus patet, potius responsabilitatem tantum individualem propugnant, nec admittunt punitorem communitatis. Tamen in eiusmodi generalibus assertis non habent multos asseclas; nam multi ex illis qui non admittunt poenam excommunicationis, admittunt alias poenas in communitatem, ut videbitur.

### B. Problema excommunicationis

In textibus supra allatis magnum momentum habet problema: an communitas excommunicari potest. Non est hoc mirum nam quaestio centralis est non solum pro auctoribus supra citatis, qui in illa materia fundamentalem difficultatem habent, sed etiam pro aliis qui quaestionem consideratam tangunt, ideo specialis attentionis digna esse videtur, ut materia ad conclusionem deducatur.

Ut iam dictum est, assertum: communitatem excommunicari non posse, iam a S. Augustino propositum fuit. A tempore tamen Innocentii IV non amplius dubium haberi potest illud

<sup>26</sup> Idem.

<sup>27</sup> Innocentius V, *In quinque Decretalium libros*, c. 30, X, 5, 3;

<sup>28</sup> „...licet omnes homines huius civitatis, etiam elevato vexillo aliquem insultum fecerint, seu rumorem, non propter hoc dici potest, quod civitas hoc fecit sed singuli de civitate. Ad hoc enim, ut attribuat civitati, oportet quod prius in concilio legitimo congregato hoc fuerit obtentum...” Panormitanus, *Comment. in primum Decr. lib.*, tit. 6, De electione c. 55;

fieri universale. In tota posteriore historia iuris canonici facile ostendi potest, quod plurimi auctores concordēs inter se fideliter secuti sunt Innocentium illud assertum propugnando. Tamquam primus enumerandus est S. Thomas. In Suppl. 22, art. 5, dicit enim:

„Respondeo dicendum quod excommunicari non debet aliquis nisi pro peccato mortali. Peccatum autem in actu consistit: actus autem non est communitatis sed singularium personarum aut frequenter. Et ideo singuli de communitate excommunicari possunt, non autem ipsa communitas. Et si quandoque etiam actus est alicuius totius multitudinis, ut quando multi navem trahunt, quam nullus per se trahere posset, tamen non est probabile quod aliqua communitas ita tota ad malum consentiat, quin aliqui sint dissentientes... Et quia non est Dei, qui iudicat omnem terram, ut condemnet iustum cum impio, ut dicitur Genes. XVIII, ideo Ecclesia quae Dei iudicium imitari debet, satis provide statuit ut communitas non excommunicetur, ne collectis zizaniis simul eradicetur et triticum”.

His similia habet Card. Hostiensis (Henricus de Segusio) in *Summa aurea*, de sententia excommunicationis nr 6:

„Sed et is qui deliquit est excommunicandus, non alius in odium, ut patet de his quae fiunt a morior. par. cap. quae fiunt. 24. quaest. 3 si habes. Ideo universitas non est excommunicanda, neq. collegium, quia sic contingeret ligari innoxios etiam puerum unius diei... Sed qui de universitate culpabiles sunt excommunicari possunt, ut illi puta, si sic dicatur excommunico omnes illos qui participabant cum tali excommunicato praemissa tamen admonitione”.

Posteriores quoque auctores idem affirmant, hoc est communitatem excommunicari non posse<sup>29</sup>. Ergo factum consensus

<sup>29</sup> Durandus, *Speculum*, IV, 4 de sententia excom., nr. 9;

Baysio Guido, *Rosarium*, c. 56, C. 12, q. 2;

Glossa ad c. 5, in VI<sup>o</sup>, 5, 11;

Joannes Andreae, c. 6, X, 3, 13; c. 30, X, 5, 3; c. 53, X, 5, 39;

Joannes Andreae, c. 5, in VI<sup>o</sup>, 5, 11;

Oldradus de Ponte, *Consilia*, 65, nr. 7;

Joannes de Lignano, *De censura eccl.*, § 21, nr. 5;

Dominicus a S. Geminiano, c. 11, C. 7, q. 1; c. 5, in VI<sup>o</sup>, 5, 11;

Antonius de Butrio, c. 53, X, 5, 39,

Petrus de Ancharano, c. 53, X, 5, 39; c. 5, in VI<sup>o</sup>, 5, 11, nr. 7;

Panormitanus, c. 30, X, 5, 3, nr. 12; c. 7, X, 3, 49, nr. 8;

Philippus Franchus c. 5, in VI<sup>o</sup>, 5, 11;

in illa materia certum omnino est. Tamen non est omittenda sine dubio investigatio quae clarius ostendat rationes, ob quas auctores uniformiter non admittunt excommunicationem ut poenam aptam contra communitatem. Exiguus numerus eorum qui omnino reiciunt possibilitatem puniendi communitatem postulat quoque ut diligentius consideremus rationes, ob quas omnes fere auctores sunt concordantes in reicienda poena excommunicationis. Suntne rationes talis naturae, quae excludant omnem speciem punitonis, an excommunicationem tantum?

a) Verba Innocentii IV ex c. 5, in VI<sup>o</sup>, 5, 11 proponunt rationem maximi momenti, quam postea maior pars auctorum fideliter et concorditer suam fecerunt. Innocentius IV dicit in illo loco:

„In universitatem vel collegium proferri excommunicationis sententiam penitus prohibemus, *volentes animarum periculum vitare, quod exinde sequi posset, quum nonnunquam contingeret innoxios huiusmodi sententia irretiri*”<sup>30</sup>.

Haec ratio nova non est, cum S. Augustinus in epistola ad Auxilium affirmaverit esse iniustum innocentes tali sententia ligare. Epistolam illam, una cum rationibus in ea contentis, citant glossae ad c. 58, C. 12, q. 2; et ad c. 30, X, 5,3. In Commentario in quinque Decretalium libros, Innocentius IV eandem ideam exprimit magis clare, cum asserit in universitate adesse pueros unius diei et absentes quoque ad eam pertinere; ideo esse certo iniustum eos quoque simul cum culpabilibus sententia excommunicationis ligari<sup>31</sup>.

S. Thomas, in Suppl: 22 art. 5 huic ideae addit alium aspectum novum:

„...non est probabile quod aliqua communitas ita tota ad malum consentiat, quin aliqui sint dissentientes”<sup>32</sup>. Et quia non est

Bertachinus G, *Repertorium*, v. civitas nr. 30; .v. collegium nr 40; v. universitas nr. 28;

Felinus Sandeus, c. 43, X, 5, 39, nr. 3;

Suarez, *De Censuris*, Disp. 18, 2, nr. 2;

Barbosa Aug., c. 5, in VI<sup>o</sup>, 5, 11;

Thesaurio Carolus, *De poenis eccl.* I, c. 43; etc.

<sup>30</sup> Litterae italicae positae ab auctore.

<sup>31</sup> Innocentius IV, c. 53, X, 5, 39; c. 64, X, 5, 39;

<sup>32</sup> Litterae italicae positae ab auctore.

Dei qui iudicat omnem terram, ut condemneret iustum cum impio, ut dicit Genes. XVIII, ideo Ecclesia quae Dei iudicium imitari debet, satis provide statuit, ut communitas non excommunicetur, ne collectis zizaniis simul eradicetur et triticum”.

Eandem ideam, in communitate nempe semper fere adesse innocentes, repetunt, non addendo quidquam novi: Card. Hostiensis, Baysio Guido, Joannes Andreae, Oldradus de Ponte, Dominicus a S. Geminiano, Antonius de Butrio, Petrus de Ancharano, Panormitanus, Philipus Franchus, Pirhing etc <sup>33</sup>.

b) Altera ratio, quoque maximi momenti, iam invenitur apud S. Augustinum. Agitur nempe de caractere individuali poenae excommunicationis.

„...Spiritualis autem poena, qua fit quod scriptum est: „Quae ligaveris super terram, erunt ligata in coelo” animas obligat, de quibus dictum est: „Ut anima patris et filii mea est. Anima quae peccaverit ipsa morietur”. Audistis fortasse aliquos magni nominis sacerdotes cum domo sua quempiam anathematizasse peccantium?” <sup>34</sup>.

Textum illum citant glossae ad c. 58, C. 12, q. 2; et ad c. 30, X, 5, 3; Idem argumentum proponit S. Thomas in Suppl. 22, art. 5:

„Respondeo dicendum quod excommunicari non debet aliquis nisi pro peccato mortali, peccatum autem in actu consistit: actus autem non est communitatis sed singularum personarum ut frequenter. Et ideo de communitate excommunicari possunt, non autem ipsa communitas”.

Rationem individualitatis poenae excommunicationis proponunt etiam Gard. Hostiensis, Joannes Andreae, Dominicus a S. Geminiano, Panormitanus, Philippus Franchus, Felinus et Suarez <sup>35</sup>.

<sup>33</sup> Card. Hostiensis, *Summa*, De sententia excomm. nr. 6, ss;

Baysio Guido, *Rosarium*, c. 6. C. 12, q. 2;

Joannes Andreae, c. 6, X, 3, 13; c. 53, X, 5, 39;

Oldradus de Ponte, Cons, 65, nr. 7;

Dominicus a S. Geminiano, c. 5, in VI<sup>o</sup>, 5, 11;

Antoni de Butrio, c. 53, X, 5, 39;

Petrus de Ancharano, c. 53, X, 5, 39;

Panormitanus, c. 30, X, 5, 3;

Phil. Franchus, c. 5, in VI<sup>o</sup>, 5, 11, nr. 5 ;

Pirhing, V, 39, nr. 27;

<sup>34</sup> c. 1, C. 24, q. 3;

<sup>35</sup> Card. Hostiensis, *Summa*, de sententia excomm. nr. 6, ss.;

Joannes Andreae, c. 30, X, 5, 3;

c) Sequentem rationem affert Innocentius IV in commentario ad c. 53, X, 5, 39, nr 1:

„universitas autem non potest excommunicari: quia impossibile est quod universitas delinquat: *quia universitas sicut est capitulum, populus, gens et huiusmodi nomina sunt iuris et non personarum*<sup>36</sup> et ideo non cadit in ea excommunicatio”.

Theoriam istam fictionis, saltem tamquam rationem, cur universitas non possit excommunicari, proponunt: Joannes Andreae, Oldradus, Antonius de Butrio, Petrus de Ancharano<sup>37</sup>.

d) Adhuc aliam rationem proponit Durandus, quae practice potest simul cum individuali caractere poenae excommunicationis componi:

„Item nota quod nec ordinarius nec delegatus nec quivis alius iudex debet proferre sententiam excommunicationis in collegium vel universitatem... Et est ratio, quia universitas non habet animam quae specialiter per sententiam excommunicationis ligatur”<sup>38</sup>.

Haec etiam idea suos habet fautores, qui sunt: Baysio Guido, Joannes Andreae, Oldradus et Dominicus a S. Geminiano<sup>39</sup>.

Reasumendo omnia quae dicta sunt sub a, b, c, d, de rationibus, ob quas sententia excommunicationis in communitatem ferri non potest, dicendum est characterem individua-lem huius poenae, hac vel illa forma expressum, praevalere, et esse rationem praecipuam; aliis verbis excommunicationem esse

---

Dominicus a S. Geminiano, c. 11, C. 7, q. 1;

Panormitanus, c. 7, X, 3, 49;

Phil. Franchus, c. 5, in VI<sup>o</sup>, 5, 11, nr. 5;

Felinus, c. 43, X, 5, 39;

Suarez F., *De censuris*, 18, 2, nr. 2;

<sup>36</sup> Litterae italicae ab auctore positae.

<sup>37</sup> Joannes Andreae, c. 53, X, 5, 39;

Oldradus, *Cons.*, 65, nr. 7;

Antonius de Butrio, c. 53, X, 5, 39;

Petrus de Ancharano, c. 53, X, 5, 39;

<sup>38</sup> Durandus, *Speculum*, IV, 4 de sent. excomm. nr. 9;

<sup>39</sup> Baysio Guido, c. 56, C. 12, q. 2;

Joannes Andreae, c. 30, X, 5, 3;

Oldradus, *Cons.*, 65, nr. 7;

Dominicus a S. Geminiano, c. 11, C. 7, q. 1; c. 5, in VI<sup>o</sup>, 5, 11;



poenam, cuius communitas qua talis non est capax. Excommunicare enim omnes pertinentes ad determinatam communitatem esse rem iniustam, quia tunc poena individuali plectuntur quoque innocentes, quod in Ecclesia certe fieri non debet. Ratio talis iniustitiae stat in eo, quod innocentes sine propria culpa plectuntur poena, quae tangit eos immediate et personaliter, privando mediis necessariis ad salutem. Ideo et prima ratio ex supra enumeratis (quod nempe in communitate adsunt innocentes), ad rationem individualis characteris poenae excommunicationis reduci potest. Ratio quarta (communitas animam non habet) facile reducitur ad eundem characterem individualem poenae. Remanet tantum tamquam solitaria tertia ratio (communitas est nomen iuris), quae tantum personas individuales tamquam reales agnoscit. Ergo in conclusione dicere licet rationem secundam (individualitas poenae) esse praecipuam et maximi valoris in doctrina auctorum.

**C. — Sententia negans omnino punctionem communitatis non potest sustineri.**

Suppositis omnibus quae dicta sunt de sententia quae reiecit punctionem communitatis, affirmari licet: Sicut ipsa notio communitatis in illa periodo non est adhuc plene evoluta, ita multo minus notio delicti communitatis est clara. Practicae difficultates sunt causa excitans ad solvendum problema etiam theoretico modo, et in novas vias intellectum auctorum adducunt.

Individualis poena excommunicationis, applicata ad communitatem, necessario ducebat ad funesta consecutaria, et ideo urgens erat prohibitio auctoritativa. Sed exinde non sequitur, communitatem omnino neque delinquere, neque puniri posse. Applicatio excommunicationis ad communitatem i. e. poenae characterem individualem habentis, innuit indolem individualem etiam in conceptione delicti communitatis adesse, quod quidem multas difficultates parere debuit. Assertum:” univer-

sitas nihil potest facere dolo”<sup>40</sup> ostendit, elementa necessaria ad delictum individuale quaeritur, in activitate delictuosa communitatis. Et quia ista elementa non complete in tali activitate inveniuntur, auctores qui omnino propugnant sententiam negativam, asserunt consequenter tantum individuas personas esse culpabiles, et ideo induvidua tantum esse puniendae<sup>41</sup>.

Auctores isti ideo non tractant de delicto perpetrato modo colectivo, sed tantum de congregatis individuis, quorum unumquodque pro se tantum responsabile est.

Ideo conceptiones nondum plene evolutae causa fuerunt sententiae omnino negativae, quae postea paulatim derelicta est, sola negatione excommunicationis ex ea re-tenta.

## Pars II

### A. Punitio communitatis aliis quam excommunicatio poenis saec. XII et sequentibus, in iure et in praxi.

Theoreticae considerationes dant testimonium, problema punitiois communitatis semper actuale esse. Confirmant hoc quoque textus contenti sive in iure, sive in scriptis auctorum. Non solum igitur antiqua praxis admittebat possibilitatem punitiois communitatis, ut patet ex textibus consideratis in introductione, sed etiam saec. XII et sequentibus persuasio talis

<sup>40</sup> Gl. 58, C. 12, q. 2; Gl. c. 30, X, 5, 3;

Innocentius IV, c. 53, X, 5, 39;

<sup>41</sup> Gl. c. 30, X, 5, 3;

Durandus, *Speculum*, IV, 4 de sent. excomm. nr. 9; ibid. I, 2, de accusato § 1, nr. 7;

Innocentius V, c. 30, X, 5, 3;

remanet<sup>42</sup>. Ad probandum multi textus afferri possunt. Sic v. g. c. 7, X, 5, 36 continet epistolam Honorii III ad episcopum Bononiensem<sup>43</sup>, ubi sermo est de efficaci monitione populi civitatis Florentinae et de inductione ad satisfaciendum de damnis et iniuriis irrogatis episcopo et ecclesiis Fesulanis et, in casu necessitatis, de censura ecclesiastica adhibenda.

Etiam post decretum Innocentii IV punitio communitatis semper est in usu. In c., 3, in VI<sup>o</sup>, 1, 6 legimus civitatem, quae prohibeat vel impediat ne Romanus Pontifex in ea legitime eligatur, interdicto puniendam esse et pontificali dignitate privandam. Hoc statuit Gregorius X in generali concilio Lugdunensi. In eodem concilio Gregorius X edixit quoque contra usurarios:

„...Hac generali constitutione sancimus, ut nec collegium nec alia universitas vel singularis persona... publicae foenebrem pecuniam exercentes, aut exercere volentes ad hoc domos in terris suis con-

---

<sup>42</sup> „Seit dem Interdikt von Limoges wurde das Interdikt zu einer immer häufiger angewandten Waffe in der Hand der Kirche, um die Bevölkerung grösserer Gebiete oder auch nur deren Fürsten zum Gehorsam gegenüber den christlichen Sittengesetzen zu zwingen... Währendanfangs nur die Bischöfe und Synoden von dem Mittel des Interdikts Gebrauch machten, haben seit der Mitte des 11 Jahrhunderts auch die Päpste zu dieser scharfen Waffe gegriffen.

Die grössten und bedeutsamsten Interdikte aber sind die gegen Ende des 12 Jahrhunderts und anfangs des 13 Jahrhunderts verhängten...”  
H a a s Ä., *Das Interdikt*, Bonn 1929, s. 5.

<sup>43</sup> „Olim scribentibus nobis, venerabili fratri nostro, episcopo Mutinensi, ut accedens personaliter Florentiam, potestatem, consiliarios et populum civitatis Florentiae moneret efficaciter et induceret ad satisfaciendum de damnis et iniuriis, irrogatis venerabili fratri nostro episcopo et ecclesiis Fesulanis, et si necesse foret, censura ecclesiastica coarctaret, idem Mutinensis mandatum nostrum quoad monitionem diligentius executus, datis induciis testes, lite non contestata, recepit. Quare nos eius processu, quoniam ad receptionem testium lite non contestata processerat, penitus revocato, commune Florentinum, quia baniverat eundem episcopum Fesulanum contra Deum et ecclesiasticam libertatem, propter iniuriam banni et expensas et damna tali occasione secuta, taxatione iuramento praemissa, in mille libris usualis monetae praedicto episcopo Fesulano sententialiter duximus condemnandum” c. 7, X, 5, 36;

ducere... Qui vero contra fecerint... si autem collegium aut alia universitas interdicti sententiam ipso facto se noverit incururos..."<sup>44</sup>.

Aliud exemplum punitiois communitatis proponitur in c. 5, in VI<sup>o</sup>, 5, 9 ubi agitur de percutientibus, capientibus vel occidentibus Cardinales.

„Civitas vero quaevis alia praeter urbem, quae talia facienti vel facientibus seu praesumentibus in his consilium vel auxilium dederit, aut favorem, vel intra mensem saltem taliter delinquentes, prout tanti facinoris enormitas exigerit, et facultas ei adfuerit, non duxerit puniendos, pontificali et supra sit eo ipso dignitate privata et nihilominus remaneat interdicta”.

C. 16, in VI<sup>o</sup>, 5, 11 statuit, cum populus interdictus sit, divinorum auditionem et sacramentorum perceptionem populo ut universis non competere.

Sequens exemplum legitur in c. 1, Clem. 5, 8 continens decretum concilii Viennensis contra percutientes, banientes vel capientes episcopum:

„...Civitas autem, quae praemissa vel eorum aliquid in episcopum suum commiserit, interdicto donec satisfecerit, subiacet memorato...”

Utile est hic mentionem quoque facere textus c. 2, Extrav. com. 5, 10,<sup>45</sup> ubi Bonifacius VIII praemissis damnis ex interdicto provenientes expresse statuit, ut propter domini debita terra vel civitas sine speciali Papae licentia non interdicatur. Nonnulli enim iudices erant nimis prompti ad proferendam sententiam interdicti. Patet ergo ex his verbis frequentem fuisse usum proferendi interdictum etiam in communitatem.

Anno 1606 Paulus V imposuit interdictum in rempublicam Venetam ut eam ad debitam oboedientiam iterum conduceret<sup>46</sup>. Similiter a Clemente XI a. 1711-4 prolata est sententia interdicti in tres dioeceses Siciliae<sup>47</sup>. Novissimis etiam temporibus a. 1909 civitas Adria cum suburbio supposita fuit inter-

<sup>44</sup> c. 1, in VI<sup>o</sup>, 5, 5;

<sup>45</sup> „Provide attendentes quod ut frequentius, quamvis non sine causa, sine culpa tamen multorum interdicti sententiae proferuntur, quoque sunt nonnulli iudices nimis prompti ad proferendas easdem...”

<sup>46</sup> Haas Alban, *Das Interdikt*, Bonn 1929, s. 12;

<sup>47</sup> Ibid. s. 13.

dicto generali locali ob aggressionem in Episcopum factam<sup>48</sup>. Paulo postea etiam civitas Gelatina a. 1913 interdicto subiecta est<sup>49</sup>.

Praxis igitur quae admittit alias poenas in communitatem quam excommunicationem, v.g. interdictum vel privationem dignitate civitatis episcopalis, aliam solutionem problematis considerati insinuat, quam proposerunt in parte prima citati auctores.

### B. Evolutio sententiae quae admittit punitionem communitatis:

Quamvis persuasio auctorum in materia excommunicationis relate ad communitatem evaserit universalis, nihilominus multi auctores quaerebant solutionem problematis punitionis communitatis. Theoretice enim poena individualis videbatur insufficiens et praxis erat diversa. In principio non multi erant hi auctores, sed paulatim sententia positiva invalescere coepit. Plerumque problema tractatur hoc modo generali: An communitas possit delinquere et simul hoc aliud problema quod fere semper cum praecedenti coniungitur: an puniri possit; vel denique supponendo factum delicti, de sola punitione sermo est.

Aliquid de hac materia dicit iam Rufinus in Summa Decretorum ad c. 21, C. 11, q. 1:

„Coniuratio est plurium contra aliquem in unum illicite facta iuratio. Hec enim iuratio sive conspiratio non tantum si animi perversitate fiat dampnatur, sed etiam si bono zelo contra dissipatorem episcopum vel praelatum ineatur coniuratio est dicenda, et penitus reprobanda”.

Sequens assertum invenitur in Glossa ad c. 11, C. 7, q. 1, v. adulterata: „Ergo ecclesia potest delinquere et etiam universitas”.

---

<sup>48</sup> A.A.S. I. (1909) 765;

<sup>49</sup> A.A.S. V. (1913) 517;

Etiam Glossa ad c. 58, C. 12, q. 2 iam citata in se continet; „...Item per modum inquisitionis potest agi contra universitatem... Io. ego credo quod universitas (nisi sint infantes et similes personae) accusari potest; quia dolum committere potest... vidimus quod saepe capitulum accusatur et excommunicatur concilium universitatis. Et delictum quod maiores de universitate committunt, ad omnes refertur...”

Nunc diligenter inspiciendus est textus Innocentii IV ad c. 53, X, 5,39. Etenim in prima parte dicit: „impossibile quod universitas delinquat...” quia est nomen iuris; nihil potest facere dolo, et quod in universitate sunt innocentes, ...ulterius tamen dicit:

„...factum tamen quod si rectores alicuius universitatis, vel alii aliquod maleficum faciunt de mandato universitatis totius, vel tantae partis, quod invitis aliis maleficium fecerint, vel etiam sine mandato fecerint, sed postea universitas, quod suo nomine erat factum ratum habet, quod universitas punietur poena suspensionis et interdicti...”<sup>50</sup>.

*Item poena capitali vel mortis vel relegationis punietur universitas si contra eam agatur criminaliter... sed poena capitis mutabitur in pecuniariam*<sup>51</sup> ..., si possit contra universitatem agi civiliter. Quidam dicunt forte non male... non tamen potest contra eam agi criminaliter. *sententia autem contra universitatem mandabitur executioni in bonis universitatis, si habet aliqua communia, et si nihil habet commune, privabitur privilegio universitatis et ulterius non sit universitas, et sic patietur capitis diminutionem...*<sup>52</sup>.

Reiecta poena excommunicationis certe manet adhuc secundum mentem Innocentii possibilitas puniendi communitatem poena interdicti, suspensionis, poena pecuniaria et privatione privilegiorum. Tales poenas admittit, quando maleficium est peractum de mandato totius universitatis, vel si post factum universitas illud ratum habuit, „quod suo nomine erat factum”.

Post Innocentium IV coepta est controversia inter fautores sententiae negativae et positivae. Animadvertendum est, quamvis non multi auctores, ut iam diximus, receperint sententiam omino negativam, tamen plures partialiter eam secutos esse. Nam etsi reiciant excommunicationem, non negant tamen

<sup>50</sup> Litterae italicæ positæ ab auctore.

<sup>51</sup> Idem.

<sup>52</sup> Idem.

possibilitatem delinquendi ex parte communitatis, nec alios modos eam' puniendi. Poenae debent esse proportionales capacitati, quam habet communitas. Fautores sententiae asserentis communitatem deliquere et consequenter puniri posse, nunquam defuerunt, sed progrediente tempore, numerus eorum augetur<sup>53</sup>. Nonnulli eorum simpliciter affirmant communitatem delinquere et puniri posse; alii vero afferunt rationes non solum cur poenae admittendae sint, excepta excommunicatione, sed etiam per illas intendunt magis explicare delictum communitatis.

Primus enumerandus S. Thomas, qui in Suppl. 22, art. 5 ad 2 dicit:

„Ad secundam dicendum est quod suspensio non tanta poena

- 
- <sup>53</sup> S. Thomas in 4 Sent. d. 18, q. 2, a. 3, sol. 2;  
 Card. Hostiensis, *Summa*, De dolo, nr. 7;  
 Albertus Galleottus, *Margaritta*, cap. 5, nr. 17;  
 Oldradus, *Cons.* 65, nr. 7;  
 Gl. ad c. 16, in VI<sup>o</sup>, 5, 11, nr. 2—3;  
 Joannes Andreae, c. 30, X, 5, 3; c. 53, X, 5, 39;  
 Joannes Andreae, c. 16, in VI<sup>o</sup>, 5, 11;  
 Gl. in c. un. Extrav. Joan. XXII, de poenis, 12, v. quae delinquerint;  
 Baldus ad Speculum, I, 3, de pers. quae alieno nomine...  
 Baldus, c. 4, X, 2, 7, nr. 4—5;  
 Baldus, *Consil.*, vol. III, cons. 267;  
 Dominicus a S. Geminiano, c. 5, in VI<sup>o</sup>, 5, 9, nr. 5;  
 Antonius de Butrio, c. 30, X, 5, 3, nr. 10, 13; c. 53, X, 5, 39, nr. 19;  
 Petrus de Ancharano, c. 30, X, 5, 3, nr. 9, 10; c. 53, X, 5, 39, nr. 8;  
 Petrus de Ancharano, c. 5, in VI<sup>o</sup>, 1, 3 nr. 4; c. 5, in VI<sup>o</sup>, 5, 11, nr. 7—10;  
 Panormitanus, c. 20, X, 1, 6, nr. 20; c. 30, X, 5, 3, nr. 11;  
 Joannes de Anania, c. 30, X, 5, 3, nr. 11;  
 Phil. Franchus, c. 5, in VI<sup>o</sup>, 5, 11; c. 16 in VI<sup>o</sup>, 5, 11;  
 Bertachinus, *Repertorium*, v. civitas, nr. 7, 40, 56, 68, 94; v. populus, nr. 28, 29; v. universitas, nr. 43, 44;  
 Felinus, c. 6, X, 1, 2, nr. 31; c. 30, X, 5, 3;  
 Suarez F., *De censuris*, disp. 18, sect. 2, nr. 2, 3;  
 Suarez F., *Ibid.* disp. 28, s. 3. nr. 1, 2...; disp. 36, s. 2, nr. 6;  
 Thesauro C. *De poenis eccl.* I. c. 40; I, c. 43;  
 Schmalzgrueber F., tit. 39, nr. 44—46;  
 Schiappoli, *Diritto penale*, nr. 49;  
 Wernz F., *Ius Decretalium*, VI, s. 24;

est, quanta excommunicatio, quia suspensi non fraudantur Ecclesiae suffragiis, sicut excommunicati Unde etiam aliquis sine peccato proprio suspenditur; sicut et totum regnum ponitur sub interdicto pro peccato regis. Et ideo non est simile de excommunicatione et suspensione."

Poenam in communitatem esse quid diversum a poena individuali affirmat glossa in c. 16, in VI<sup>o</sup>, 5, 11, v. non competent:

„...ubi autem tractatur de his quae universitati competunt: ita dicitur illud esse penes universitatem, quod non penes singulos ...populum autem est idem hodie, qui ante centum annos: unde tunc interdicto populo et nondum relaxato, qui nunc est dicitur interdictus...".

Distinguuntur hic ea, quae ad communitatem pertinent, ab his quae ad singulos. Quae quidem distinctio posteriore tempore magis attenditur.

Evolutionem sententiae positivae praeter purum ratiocinium iuvant elementa aliunde desumpta. Sic v. g. Petrus de Ancharano sententiam Bartoli in ius canonicum introducit in suo commentario, ad c. 5, in VI<sup>o</sup>, 5, 11, nr 9. Consideratione digna in illo textu est distinctio inter ea, quae universitas potest facere proprie, et ea quae improprie; et consequenter distinguitur quando communitas possit delinquere proprie et quando improprie. Magni est hoc momenti, cum attentio iam dirigatur ad ipsam naturam delicti universitatis. Posteriores auctores ad illud problema attentionem dirigunt; v. g. Panormitanus in commentario ad 30, X, 5, 3, nr 11; affirmant delictum omissionis bene cadere in communitatem.. Similiter Joannes de Anania ad c. 30, X, 5, 3, nr 10 etc.

Ulterius ad plenioram evolutionem huius sententiae confert aliquid Suarez in disp. 18 sect. 2 nr. 2. Loquens de diversis rationibus, quibus censura ferri potest; quoad communitatem distinguit duas rationes, quarum prior proprie cadit in universitatem prout communitas est:

„...adverto duobus modis posse censuram aliquam in communitatem ferri. Primo in solam communitatem ut communitas est, id est quatenus est unum corpus politicum, ita ut non descendat ad singulas personas secundum se; sed solum illas comprehendat quatenus unum corpus constituunt, quo modo solet suspensio in communitatem. Alio modo potest ferri censura in communitatem ratione singularum personarum..."



Et modo Suarez innuit: poenam, quae in universitatem cadit, esse quid diversum a poena quae cadit in personas singulares.

Recentiore tempore, ante Codicem I.C. apud F. Wernz, quoad hoc problema, haec legimus:

„Utrum sola persona individua, an etiam corporationes (universitates), quae pluribus personis singularibus constant, sint in foro ecclesiastico subiectum delictorum in controversia est. Qua in controversia tenendum videtur ius poenale Ecclesiae illam delinquendi capacitatem in suo foro agnovisse, atque sapienter peculiari indoli huiusmodi delicti a communitate ut tali commissi suas poenas accomodasse”<sup>54</sup>.

Mens igitur omnium horum auctorum sat clara est. Communitas qua talis deliquere potest et consequenter puniri. Attamen delictum et poena diversa est relate ad communitatem et relate ad singulos. Ideo non omnes poenae universitati applicari possunt.

### C. Quaestio delicti universitatis

Ex consideratione hucusque peracta non est difficile conclusionem deducere, quod problematis solutio pendat ab alia quoque quaestione, nempe delicti communitatis. Distinctio inter poenam excommunicationis et interdicti non statim fuit clara, sed paulatim magis evidens evasit. Similiter et aliae notiones, quae characterem individualem et socialem habent vel habere possunt, non statim ut tales cognitae erant, sed lenta evolutio theoretica et difficultates practicae iuverunt ad distinctionem clariorem agnoscendam inter ea, quae individualia et ea quae socialia sunt.

Etiam notio delicti similem evolutionem habuit. Character eius individualis iam diu cognitus erat. Conceptus tamen delicti communitatis longae evolutioni fuit obnoxius. Problema non statim ut tale est agnitum, sed data occasione auctores respondere intendunt quale delictum communitas patrare possit, et

<sup>54</sup> Wernz F., Ius Decretalium, VI, nr. 18;

quid faciendi communitas capax sit. Eo ergo modo paulatim conceptus delicti communitatis clarior evasit.

Iam Rufinus de coniuratione tractans<sup>55</sup> indirecte exprimit, eam bene cadere in communitatem, et esse delictum plurium hominum simul. Contra eos vero, qui omnino negant communitati possibilitatem committendi delictum, citari potest iam notus nobis textus S. Thomae<sup>56</sup> ubi ille admittit casum, in quo plures simul malum patrare possunt; tamen dicit: „...non est probabile quod aliqua communitas ita tota ad malum consentiat, quin aliqui sint dissentientes”.

Ad meliorem explicationem problematis in ista materia auctores ideas ex commentariis iuris romani desumptas in ius canonicum introducunt. Petrus de Ancharano in Commentario ad c. 5 in VI<sup>o</sup>, 5, 11, nr. 9 dicit: voluntatem et animam requiri ad punitionem, quas universitas non habet quia est nomen iuris et quia innocentes non sunt puniendi in universitate, nec successores, ideo in iure canonico non habetur perfecta solutio theoretica; ulterius dicit:

„Ideo Bartolus lumen iuris latius istam questionem prosequitur... et hic brevius repeto et *post eum dico quod primum videndum est an universitas possit delinquere. Dicit ipse quod non proprie*<sup>57</sup> quia est persona ficta, nam universitas scholarium est alia persona a scholaribus... *improprie vero an delinquat: dicit quod peccatum omissionis potest universitas committere...*<sup>58</sup>. Quoddam vero delictum non est in omittendo, sed in faciendo, et tunc dicit *quod quae-*

<sup>55</sup> „Coniuratio est plurium contra aliquem in unum illicite facta iuratio. Haec autem iuratio sive conspiratio non tantum si animi perversitate fiat dampnatur, sed etiam si bono zelo contra dissipatorem episcopum vel praelatum ineatur coniuratio est dicenda et penitus reprobanda”. Rufinus, Summa decretorum, ad, c. 21, c. 11, q. 1.

<sup>56</sup> „...Peccatum autem in actu consistit: actus autem non est communitatis, sed singularium personarum ut frequenter. Et ideo singuli de communitate excommunicari possunt, non autem ipsa communitas. Et si quandoque etiam actus est alicuius totius multitudinis, ut quando multi navem trahunt, quam nullus per se trahere posset, tamen non est probabile quod aliqua communitas ita tota ad malum consentiat, quin aliqui sint dissentientes...” S. Thomas Suppl. 22 art. 5.

<sup>57</sup> Litterae italicae positae ab auctore.

<sup>58</sup> Litterae italicae positae ab auctore.

*dam sunt, quae possunt fieri per ipsam universitatem*<sup>59</sup>. ut facere statutum, dare iurisdictionem, imponere collectas, et similia et isto casu potest universitas delinquere... *Quaedam sunt iura quae non possunt residere apud ipsam universitatem ut committere homicidium, facere violentiam, et similia, tunc universitas illa facere non potest proprie, quia requirunt personam veram... sed dicitur committere improprie per alios*<sup>60</sup> regentes universitatem... et hoc discusso (qualiter possit delinquere, proprie vel improprie) est videndum qualiter debeat puniri..."

A. de Butrio in suo comentario ad c. 30, X, 5, 3, dicit:

„...videndum est principaliter de duobus. Primum an universitas possit delinquere. Secundum an universitas accusari et puniri possit de delicto et qua poena. *Dic quod aut delictum est in omittendo et delinquere potest... aut est delictum in committendo seu faciendo et quaedam sunt, in quibus committitur delictum quae non possunt nisi per universitatem expediri: sicut est facere statuta contra libertatem ecclesiasticam, vel dare iurisdictionem et imponere collectas...*<sup>61</sup> Non potest dici quod isto casu privatus faciat, cum talis potestatis sit incapax: *sed debet dici quod ipsa universitas hoc faciat, cum talis potestatis sit capax... Quaedam vero sunt in quibus committitur delictum non residentia penes universitatem, ut est committere homicidium, facere violentiam et similia: tunc universitas non potest facere proprie, cum talia requirant veram personam*<sup>62</sup>. Improprie tamen potest delinquere, videlicet per regentes ipsam universitatem, vel per eos, quibus ipsa universitas commisit..."

Posteriores auctores quamquam has ideas recipiunt, eas tamen coniungunt cum theoria fictionis v. g. Panormitanus ad c. 30, X, 5, 3 nr. 11:

„...proprie ergo universitas non potest delinquere quia non habet verum corpus, sed proprie delinquent singuli et singulares de universitate. Sed istud corpus habetur pro vero quoad multos iuris effectus. Unde advertendum, quod quoddam delictum consistit in omittendo, et illud bene cadit in universitatem, loquendo tamen secundum illam fictionem iuris... Quoddam vero delictum consistit in faciendo et in tali delicto est considerandum, quod proprie concernit ipsam universitatem ita quod non singulos, ut facere statuta iniqua et imponere collectas et similia. Ista enim non possunt adaptari ad singulos, licet ad ipsam universitatem. Unde in istis ipsa universitas delinquere potest... Quaedam vero sunt delicta quae proprie non cadunt in ipsam

<sup>59</sup> Litterae italicæ positæ ab auctore.

<sup>60</sup> Idem.

<sup>61</sup> Idem.

<sup>62</sup> Idem.

universitatem ut dolus homicidium et similia et talia delicta potest universitas aliis demandare, vel post factum ratum habere..."

Enumerando delicta quae communitas committere potest, mentionem facit Panormitanus (sicut et Joannes de Anania <sup>63</sup>) inter alia etiam delicti per ratihabitionem. Non est hoc parvi momenti, cum agatur de specie solidaritatis relate ad malum. Sed non est hoc quid novum, nam de eo modo delinquendi iam egit S. Thomas in II-a II-ae q. 108 a. 4:

„...peccatum unius derivatur in alterum per aliquod consensum seu dissimulationem sicut etiam interdum boni simul puniuntur temporaliter cum malis quia eorum peccata non redarguerunt, ut Augustinus dicit De Civ. Dei cap. IX col. 21 t. 7.”

Alio etiam loco, nempe Quodlibet XII a. 23 ad 1-um asserit populum in favendo maioribus potest esse in culpa. Innocentius IV dicit delictum universitatis esse quando ratum habet, quod suo nomine factum fuit <sup>64</sup>. Joannes Andreae quoque praesentes et tacentes a culpa ratihabitionis non excusat nam per taciturnitatem gesta firmaverunt <sup>65</sup>. Aliam speciem ratihabitionis exponit A. de Butrio in c. 53, X, 39, nr 19; universitas nempe „si monita non emendet vel faciat emendari”. Petrus de Ancharano proponit casum ratihabitionis delicti compromissari, sive procuratoris <sup>66</sup>.

In his omnibus speciebus ratihabitionis, vel nonnullis eorum, tamquam de possibili modo delinquendi, loquuntur relate ad communitatem auctores posteriores <sup>67</sup>.

Ut ex supra dictis patet, canonistae censent communitatem non omnia delicta committere posse. Capacitas enim eius limitata est. Potest nempe facere ea, quae ut dicit Panormitanus in textu supra citato, „non possunt adaptari ad singulos” vel

<sup>63</sup> Joannes de Anania, c. 30, X, 5, 3, nr. 10;

<sup>64</sup> Innocentius IV, c. 53, X, 5, 39;

<sup>65</sup> Joannes Andreae, c. 16, in VI<sup>o</sup>, 5, 11, nr. 6;

<sup>66</sup> Petrus de Ancharano, c. 40, in VI<sup>o</sup>, 1, 6;

<sup>67</sup> Joannes de Anania, c. 30, X, 5, 3;

Bertachinus J., *Repertorium*, v. civitas nr. 53;

Ludovicus Romanus, Cons. 338, nr. 8;

Felinus, c. 30, X, 5, 3, nr. 9;

ea, quae sive a persona singulari, sive a pluribus personis simul agentibus patrari possunt.

Inter ea quae bene cadunt in communitatem, enumerant delictum omissionis; ea quae unus homo perficere non potest; facere statuta; imponere collectas et ratum habere ea, quae nomine universitatis facta erant. Improprie vero potest facere, scilicet mediante v. g. mandato: homicidium, violentiam, dolum et similia; i. e. ea quae, ut dicit A. de Butrio in textu citato, requirunt veram personam individualem. Ideo diversus character operis dirimit quaestionem, utrum communitas illud facere possit, an solummodo persona stricto sensu individualis.

His dictis nondum absolvitur quaestio delicti universitatis. Ad plenioram explicationem consideranda est adhuc mutua relatio delicti individualis ad delictum et poenam communitatis. Sunt enim textus, non tantum auctorum, sed praecipue iuris in quibus sermo est de individuis culpabilibus in casu punitionis communitatis; et adhuc plus, nempe de aliqua eorum causalitate relate ad istam punitionem.

Magni momenti pro tali quaestione est textus c. 24, in VI<sup>o</sup>, 5, 11, in quo Bonifacius VIII permittit ut tempore interdicti non solum morientes, sed etiam sani ad poenitentiam admittantur. Quoad illos vero, qui causa interdicti fuerunt dicit. quae sequuntur:

„Illis etiam propter quorum culpam, dolum vel fraudem lata est sententia interdicti, vel qui ad perpetrandum delictum, cuius occasione interdictum est latum, praebuerunt auxilium consilium vel favorem, nisi de ipso delicto (si sint tales quod id facere valent), prius satisfecerint, vel de satisfactione idoneam dederint cautionem... non est poenitentiae beneficium aliquatenus concedendum”.

Expressis fere verbis hic dicitur, in casu interdicti culpam, dolum et fraudem individuorum locum habere potest. Etiam personae individuales, quae in perpetratione delicti praebuerunt auxilium, consilium vel favorem, sunt quoque in culpa. Innuitur ergo aliqua cooperatio et participatio singularum personarum. Punitur tamen ipsa communitas.

Similis est etiam mens c. 1, in Clem. 5, 8, tractat enim de percutientibus capientibus vel banientibus episcopum:

„...Civitas autem, quae praemisse vel eorum aliquod in episcopum suum commiserit, interdicto donec satisfecerit, subiacet memorato. Potestas vero, consiliarii, ballivus, scabini, advocati, consules, rectores et officiales ipsius quocumque nomine censeantur, in praemissis culpabiles existentes, similiter excommunicationis sententiae a qua (nisi ut praemittitur), non valeant absolutionis obtinere beneficium, sint subiecti...”

Ex his textibus concludere licet relationem inter poenam in communitatem et delicta individualia in casibus propositis locum habere. Huiusmodi persuasionem quoque invenire possumus in scriptis auctorum. V. g. Suarez dicit interdictum locale habere vim et efficaciam interdicti personalis, respectu illius, qui causam dedit interdicto locali et concludit: „si ergo tota universitas dedit causam interdicto locali ipsa etiam personaliter interdicatur”. Posteriores talem solutionem in ista materia sequuntur<sup>68</sup>.

Aliud elementum, quod ad illustrandum quaestionem tractatam utile esse potest, est sat universalis sententia, ut iam supra demonstratum est, secundum quam in communitate culpabili fere semper innocentes adsunt<sup>69</sup>. Si ergo de delicto universitatis sermo insti-

---

<sup>68</sup> „Porro circa interdictum locale specialiter notandum quod illi qui causam interdicti dederunt, non tantum in loco interdicto, sed etiam quovis alio loco prohibentur celebrare et audire divina... illis tantum incolis loco interdicti conceditur audire divina in alio non interdicto loco, qui causam non dederunt interdicto...” Reifenstuel, *De sententia excomm.* nr. 197. Similiter Schmalzgrueber, *De sententia excomm.*, nr. 333.

<sup>69</sup> Innocentius IV, c. 53, X, 5, 39; c. 64, X, 5, 39;

S. Thomas, *Suppl.* 22, art. 5;

Card. Hostiensis, *Summa*, De sent. excomm. nr. 6 etc.;

Baysius Guido, *Rosarium*, c. 56, C. 12, q. 2;

Joannes Andreae, c. 6, X, 3, 13; c. 53, X, 5, 39;

Oldradus de Ponte, *Cons.* 65, nr 7;

Dominicus a S. Geminiano, c. 5, in VI<sup>o</sup>, 5, 11;

Antonius de Butrio, c. 53, X, 5, 39;

Petrus de Ancharanó, c. 53, X, 5, 39;

Panormitanus, c. 30, X, 5, 3;

tuitur et in eodem casu de individuis innocentibus sermo fit, implicite eo ipso asseritur omnes alios culpabiles esse.

His dictis clarum esse videtur cur nonnulli auctores<sup>70</sup> considerant problema an punita universitate possint puniri quod singuli ex eadem communitate et respondent affirmative.

Reasumendo dici potest, adesse relationem inter delictum universitatis et delictum individuorum ex communitate. Non solum adest relatio coexistentiae sed etiam causalitatis. Non determinatur tamen ulterius in quonam elemento illa causalitas consistat. Insinuatur tantum aliqua cooperatio et participatio inter culpabila membra communitatis. Quia vero poena in communitatem lata non tangit modo individuali personas culpabiles, ideo speciales poenae characteris individualis in vere culpabiles sunt necessariae.

#### D. Poenae aptae ad punctionem communitatis

In conclusione totius, sub diversis aspectibus factae considerationis, convenit paucis in verbis exponere quibusnam poenis et quomodo communitas puniendā sit secundum mentem auctorum qui reiciunt sententiam omnino negativam.

Ordinem laesum restituit legitima potestas per applicationem poenae, quae est delicto correlativa. Cum vero communitas quaedam delicta patrare possit, videndum nunc est, quales poenae ei applicari queant. Ut patet ex iis quae dicta sunt relate ad poenam excommunicationis, quae revocare in memoriam necesse nunc est, ista poena ideo non est applicanda com-

---

Phil. Franchus, c. 5, in VI<sup>o</sup>, 5, 11, nr. 5;

Pirhing H., V, 39, nr. 27.

<sup>70</sup> Joannes Andreae, c. 5, in VI<sup>o</sup>, 5, 9, nr. 19;

Antonius de Butrio, c. 30, X, 5,3, nr. 14; ;

Panormitanus, c. 30, X, 5, 3, nr. 14;

Bertachinus, Repertorium, v. universitas, nr. 19;

munitati, quia characterem individualem habet. Non statim hoc evidens fuit.

Antequam ad theoreticam considerationem transeamus, primum animadvertere oportet quales poenae in praxi communitati applicatae sint, quin oppositio provocaretur. Sine dubio ad tales poenas pertinebant interdictum sat frequens in usu, privatio dignitate civitatis episcopalis<sup>71</sup> et privatio commercii cum aliis civitatibus<sup>72</sup>.

Inter auctores primo loco videndum est, quid dicat Innocentius IV de ista materia, nam illius praecipue auctoritati tribuitur sententia negativa. Reiecta excommunicatione, tamquam poenam iustam pro universitate admittit (quod tamen multi auctores non animadvertunt) suspensionem et interdictum; poena capituli vero secundum illum mutabitur in pecuniariam, atque haec mandatur executioni in bonis universitatis, quae si bona non habeat, privatur privilegio universitatis<sup>73</sup>.

Suspensio et interdictum, ut dicit S. Thomas<sup>74</sup>, diversa sunt ab excommunicatione, atque ideo bene cadunt in universitatem. Posteriores etiam auctores id concedunt, ut supra ostensum est, sed utique intelligunt semper illam formam suspensionis et interdicti, quae non tangit individua immediate, sed tantum totam communitatem modo generali. Omnes enim auctores concordantes sunt in asserendo, poenam debere tangere communitatem qua talem immediate, innocentia individua quae talia vero tangere non posse. Non cadit utique in communitatem, ut dicit Suarez<sup>75</sup> suspensio ab officio ordinis, cum ut patet universitas incapax sit illud exercendi.

---

<sup>71</sup> c. 25, C. 25, q. 2;

c. 9, X, 5, 7;

c. 3, in VI<sup>o</sup>, 1, 6;

c. 5, in VI<sup>o</sup>, 5, 9;

<sup>72</sup> c. 9, X, 5, 7;

<sup>73</sup> Innocentius IV, c. 53, X, 5, 39; (textus iam supra citatus).

<sup>74</sup> S. Thomas. *Suppl.* 22 art. 5, 2;

S. Thomas, *Comment.*, in 4 Sent. d. 18, q. 2, art. 3, sol. II, 2.

<sup>75</sup> Suarez F., *De censuris*, disp. 28, s. 3, nr. 3;



Quoad poenam pecuniariam, quae solvitur ex bonis universitatis, concordēs sunt quoque multi auctores<sup>76</sup>. Discrepant solummodo relate ad solutionem problematis: utrum scilicet collecta in casu insufficientiae bonorum comunitatis obligare debeat omnia individua communitatis, an culpabiles tantum.

Joannes Andreae proponit adhuc tamquam poenam communitati proportionatam privationem iurium privilegiorumque et mortem analogam („decapitatur civitas per aratrum”). Ultima ex his poenis est solummodo alia forma (etsi sat antiqua) privationis privilegio universitatis seu solutionis communitatis de qua iam locutus est Innocentius IV et multi posteriores<sup>77</sup>. Non est capax universitas secundum Joannem Andreae poenae corporalis, nam corpus non habet.

Ex aliis poenis A. de Butrio (similiter etiam Panormitanus) mentionem facit adhuc privationis proprietate.

Omnes istae poenae distinguuntur, secundum mentem auctorum a poenis individualibus, quae constituunt realitatem diversam. Expressis verbis affirmat hoc Joannes Andreae cum dicit ad c. 5, VI<sup>o</sup>, 5, 9: „*Alia poena cadit in peccatis universitatis et alia in peccatis singulorum*”<sup>78</sup>. In communitatem cadunt solummodo poenae, quae non tangunt individua ut talia, sed mediante communitate<sup>79</sup>.

<sup>76</sup> Joannes Andreae, c. 30, X, 5, 3, nr. 9;

Antonius de Butrio, c. 30, X, 5, 3; c. 53, X, 5, 39;

Petrus de Ancharano, c. 53, X, 5, 39, nr. 9;

Panormitanus, c. 30, X, 5, 3, nr. 11;

Felinus, c. 30, X, 5, 3, nr. 4;

<sup>77</sup> Baldus, c. 4, X, 2, 7, nr. 3;

Baldus, Cons. I, c. 465, nr. 3;

Antonius de Butrio, c. 30, X, 5, 3, nr. 11 etc.;

Panormitanus, c. 30, X, 5, 3, nr. 11;

Felinus c. 30, X, 5, 3, nr. 4;

<sup>78</sup> Litterae italicæ positæ ab auctore.

<sup>79</sup> „Hinsichtlich der Strafen schieden zuerst die Kanonisten mit Schärfe die Bestrafung der Universitas und die Bestrafung der singuli, so dass sie auch neben und ausser der Korporationsstrafe eine beson-

Attentione facta ad effectus harum poenarum, i. e. interdicti et suspensionis, applicatarum modo generali, privationis dignitate civitatis episcopalis, privationis commercio aliarum civitatum, poenae pecuniariae solutae ex bonis universitatis, privationis iuribus privilegiisque et denique mortis analogae i. e. solutionis universitatis, concludere licet poenas istas remanere in sphaera boni communis, non vero individualis. Ideo personae singulares tantum indirecte tanguntur, in quantum sunt membra communitatis punitae. Pro illis hoc non est poena individualis, sed tantum privatio participationis in bono communi, quod utique non excludit, ut dictum est in ultima nota, simultaneam poenam individualem in vere culpabiles.

Poena igitur non solum pendet a character delicti patrati, sed etiam a capacitate et genere subiecti in quod cadit. Ab ista enim proportionalitate dependet eius efficacia nempe an obtinere valeat finem, ob qualem imposita est.

Clara nunc est ergo mens canonistarum, qui ob delictum ad quod patrandum communitas capax est, requirunt etiam poenam specificice diversam ab individuali.

---

dere Bestrafung der als Anstifter oder Teilnehmer zu qualificirenden Vorsteher und Mitglieder für zulässig und geboten erklärten... Sie erkannten es demgemäss theoretisch als ein Gebot der Gerechtigkeit an dass als Korporationsstrafen nur solche Uebel verhängt werden dürften, welche wirklich nur die Korporation als solche und nicht zugleich die Einzelnen ohne Rücksicht auf Schuld oder Anschuld in ihrer Individualität trafen". Gierke O., *Das Deutsche Genossenschaftsrecht*, III s. 346.

## BIBLIOGRAFIA

### 1. Fontes

- Acta Apostolicae Sedis  
Corpus Iuris Canonici, Aemilius Friedberg, Graz 1955;  
Decretum Gratiani una cum Glossis, Romae 1582.  
Decretales Gregorii IX una cum Glossis, Romae 1852;  
Harduin, Conciliorum collectio regia maxima. Parisiis 1714 ss.  
Liber Sextus Decretalium una cum Clementinis et Extravagantibus earumque glossis, Romae 1582.  
Mansi, Sacrorum conciliorum nova et amplissima collectio, Florentiae 1759 ss.  
Mingne, Patrologiae cursus completus, series latina Parisiis 1844 ss.

### 2. Decretistae, Decretalistae et alii canonistae ante Concilium Trident.

- Albertus Galleotus, Aurea Margarita, Venetiis 1566 (in calce Speculi Durandi).  
Antonius de Butrio, In libros Decretalium commentarii, Venetiis 1578,  
Baldus de Perusio, Super Decretalibus, Lugduni 1551.  
Baldus de Perusio, Consilia, Lugduni 1559.  
Baldus, Ad speculum iuris Durandi, Francofurti 1612.  
Baysio Guido, Rosarium Decretorum, Venetiis 1481.  
Bertachinus Joannes, Repertorium, Lugduni 1562.  
Dominicus a S. Geminiano, Super Decretorum volumine commentaria, Venetiis 1578.  
Dominicus a S. Geminiano, In Sextum Decretalium volumen commentaria, Venetiis 1578.  
Durandus Gulielmus, Speculum, Venetiis 1566.  
Felinus Sandeus, Commentaria in Decretalium libros, Venetiis 1584.  
Hostiensis Card. Henrici, Summa aurea, Venetiis 1570.  
Innocentius IV. In quinque Decretalium libros commentaria. Venetiis 1570.  
Innocentius V. In quinque Decretalium libros commentaria,—  
Joannes Andreae, In quinque Decretalium libros novella commentaria, Venetiis 1581.  
Joannes Andreae, In Sextum Decretalium librum novella commentaria, Venetiis 1581.  
Joannes de Anania, Supra quinque Decretalium, Lugduni 1553.

- Joannes de Lignano, *Tractatus de censura ecclesiastica*, Venetiis 1534.  
 Ludovicus Romanus, *Consilia*, Lugduni 1565.  
 Oldradus de Ponte, *Consilia seu responsa*, Venetiis 1570.  
 Panormitanus Abbas, *Commentaria in quinque libros Decretalium*,  
 Venetiis 1588.  
 Petrus de Ancharano, *In quinque Decretalium libros commentaria*,  
 Bononiae 1581-3.  
 Philippus Franchus, *In Sextum Decretalium*, 1547.  
 Thomas Aquinatis, *Opera omnia*, Parisiis 1871—80.  
 Rufinus, *Summa Decretorum*, Paderborn 1902.

### 3. Canonistae et scriptores post Concilium Tridentinum

- Barbosa Augustinus, *Collectanea doctorum in Ius Pontificium universum*, Lugduni 1716.  
 Conran E. J., *The interdict*, Washington 1930.  
 Gierke Otto, *Das deutsche Genossenschaftsrecht*, Graz 1954.  
 Haas Alban, *Das Interdikt*, Bonn 1929.  
 Hinschius Paul, *System des katholischen Kirchenrechts*, Berlin 1895.  
 Myrcha Marian Alfons, *Ekskomunika*, Warszawa 1959 (odbitka z kwart.  
 „Polonia Sacra” i „Prawo Kanoniczne” s. 348.  
 Myrcha Marian-Alfons, *Interdykt*, Warszawa, 1960, (Odbitka z kwart.  
 „Prawo Kanoniczne” nr. 1—2, 1959), s. 228.  
 Pirhing Ernricus, *Ius canonicum*, Venetiis, 1759.  
 Schiappoli D. *Diritto penale canonico*, Milano 1905.  
 Schmalzgrueber Fr., *Ius ecclesiasticum universum*, Romae 1845.  
 Suarez Fr., *De censuris*, Moguntiae 1606.  
 Thesauro C. A., *De poenis ecclesiasticis*, Ferrariae 1761.  
 Wernz. Fr., *Ius Decretalium*, Prati 1905—13.